

DISPUTATIO II.

COLLEGII THEOLOGICI PUBLICI

DE SERVO ARBITRIO B. LUTHERI CONTRA ERASMIANAM DIATRIBEN, CONTINENS explicationem TITULI libelli Lutheri, cui nomen SERVUM ARBITRIUM, Argumentum item libri cum Oeconomia, & Analyfi prioris libri partis, *aeconomia*.

Quam publico Scholasticæ juventutis bono, in DEI gloriam & divinæ veritatis assertionem ex debito erga B. Lutheri Mantis amore

Academica disquisitioni subicit

JOHANNES BEHM, S. S. Th.,
D. P. P. in Academia Regiomontana &c.
Respondente

DANIELE MARTINI,
Dantiscano.

Ad d. 26. Aprilis, horis matutinis.


OS (: ✝ :) SO



REGIOMONTI,
Excusa typis Laurentij Segebadij,
ANNO M. DC. XXX.

inv. 167

595152



264028

Reverendis & Clarissimis VIRIS
Dn. M. PETRO NICOLAI, Pa-
stori & Archipresbytero Insterburgensi vigilantiss.

Dn. M. JOHANNI Bilauß / Pa-
stori Balgensis fideliss.

Amplissimis & Spectatissimis VIRIS
Dn. CHRISTOPHORO Schiml

Dn. JOHANNI MICHAELIS,
Illi Iudicij Regiomontani Palæopolitani; huic
Cniphoviani. Assessoribus prudentissimis.

Spectatissimis, Literatissimis & Integerrimis
VIRIS,

Dn. GEORGIO Langhans /

Dn. WILHELMO Kersten /

Mercatoribus Cniphov. florentiss.

Prestantissimis ac Literatissimis Viris-Furvenibus

Dn. CHRISTOPHORO Schiml
melpfenning /

Dn. ANDREÆ Adersbach /

Dn. JACOBO Schlein,

*Dn. Fautoribus, Promotoribus, Amicis suspi-
ciendis, colendis, hancce Disputatio-
nem Theologicam*

observanter & submisse dedicat

Daniel Martini,

Dantisc. Resp.

CAPUT SECUNDUM EP.
ΤΑΣΙΑΣ, CONTINENS EXPLICATIONEM
tituli, Argumentum libri, DE SERVO ARBITRIO,
cum tota ejusdem Analyfi,

DISPUTATIO II.

Respondente

DANIELE MARTINI,

Dantiscano Boruffo.

DE TITULO.

Titulum libri B. Lutherus fecit SERVUM ARBI-
TRIUM. Noluit autem titulo *Liberi Arbitrij* uti.

I. Animus enim erat B. Luthero in illo libro humanum
arbitrium, in statu corruptionis & peccati consideratum,
demoliri.

II. Et contraire voluit Scholasticis, (praesertim Era-
smo) istam arbitrij Libertatem ad Pelagianorum morem,
contra Scripturam nimium extollentibus.

III. Vox *Liberi Arbitrij* corrupto homini applicata, ju-
sto est insolentior: Quâ de re Lutherus ipse hunc in modum
scribit in illo ipso de Servo Arbitrio libro c. 47. *Sequitur*
Liberum Arbitrium esse planè divinum nomen, nec ulli posse com-
petere, quam soli Divinae Majestati, ea enim potest & facit, sicut
canit Psalmista, omnia quae vult in caelo & terra, Psal. 135, v. 6.
Et paulò pòst: *Est magnifica nimis & amplissima, plenag, vox li-*
beri arbitrij, quâ populus putat eam vim significari (sicut & vis
& natura vocabuli exigit) quae liberè possit in utrumq, se verte-
re, neq, illa vis ulli cedat, vel subjecta sit. Videatur & cap. 48.
Item 73. *Superius ostendimus liberum arbitrium nemini nisi*
soli DEO convenire, Arbitrium fortasse aliquod homini rectè

D

tribueris,

tribueris, sed liberum in rebus divinis tribuere, nimium est, quia
 liberi arbitrij vox omnium aurium judicio propriè id dicitur.
 quod potest & facit erga DEVM, quacumq; libuerit, nullà lege,
 nullo imperio cohibetum. Et cap. 76. Diximus superius, libe-
 rum arbitrium esse divinum nomen, ac virtutem divinam signi-
 ficare. Humanum ergò arbitrium in statu corruptionis
 Megalander noster SERVUM nominare voluit.

PRIMO. Ex Scriptura Divina auctoritate. Nam I.
 Qui facit peccatum, Servus peccati est. Hæc propositio Ser-
 vatoris est, Joh. 8. v. 38. & Apostoli Pauli. Rom. 6. v. 17. &
 20. Et consequenter Servum habet arbitrium. Omnes homines
 in statu corruptionis constituti non nisi peccatum faciunt. E. Ser-
 vi sunt peccati & servum habent arbitrium.

II. Quicumq; in Diaboli laqueis captivus ducitur, servus est.
 Omnes homines in congenita miseria, captivi ducuntur in laqueis
 Diaboli. E. Servi sunt. Propositio congenitam habet lu-
 cem. Assumptum est Apostoli, I. Cor. 12. v. 2. 2 Tim. 2. v.
 26. Huc respexit Lutherus c. 45. Sub DEO hujus Seculi sumus
 sine opere & Spiritu DEI veri, captivi tenemur ad ipsius volun-
 tatem. Pari ratione

III. Quicumq; captivus est lege peccati, is servum habet ar-
 bitrium: Omnes homines in statu corruptionis captivi sunt lege
 peccati, Rom. 7. v. 13. E. & c. Vel. Quicumq; sub peccatum est
 venundatus, vel peccati mancipium factus, is Servus est peccati:
 Omnes homines per lapsum corrupti, sub peccatum sunt venun-
 dati & peccati mancipium facti. Ibidem v. 14. Ergò & c.

IV. Quicumq; peccator est, & caret gloria DEI, carebit etiã
 libertate arbitrij. Bona namq; particula δ ὑπερβολῶς seu caren-
 tia divinæ gloriæ, est carentia libertatis in arbitrio. At
 omnes homines sunt peccatores & carent gloria DEI, Rom. 3.
 v. 23. Ergò & c.

V. Tandem; Quicumq; per Christum à statu corruptionis &
 peccati liberantur, Illi ante Libertatem in statu servili sunt con-
 stituti.

*fituti. Omnes homines (si actualem Dominici meriti suffici-
cientiam spectemus) per Christum à statu corruptionis libe-
rantur ; imò liberati sunt. Ergò &c.*

Nominatur autem corruptum corrupti hominis Arbitrium *Servum*. 1. Ratione *servilis* suæ post lapsum *conditionis* ut jam ex Scriptura probatum. 2. Ratione *servilis impotentie*. Non enim habet libertatem & facultatem implendi legem DEI, Rom. 8. v. 3. 7. Ut nec deponendi interiorum vel congenitam pravitatem. Hinc à *diversa* inclinationis ad alterum oppositorum, bonum sc. Rom. 7. v. 14. 15. & seqq.

SECUNDO. *Ex humana Augustini auctoritate*. Lutherus enim ut Monachus olim Augustinianus, Augustinianizans, hominis arbitrium *Servum* potius quam *liberum* appellare voluit. Sic autem scribit Augustinus Epistola 89. ad Hilarium Tom. 2. *Quomodo libera est voluntas, cui dominatur iniquitas? Post pauca: Libertas sine gratia non est libertas, sed contumacia. Verè enim liberi eritis si filius vos liberaverit.* Alibi; *Liberum arbitrium ad diligendum DEVM primi peccati granditate perdidimus.* In Enchiridio ad Laurentium c. 30. Tom. 3. *Quid boni operari potest perditus? nisi quantum fuerit à perditiõne liberatus? nunquid libero voluntatis arbitrio? absit. Nam libero arbitrio male utens homo, & se perdidit & ipsum. Cum enim libero peccateiur arbitrio, victore peccatore amissum est & liberum arbitrium. A quo enim quis devictus est, huic & Servus additus est. Item: Ad justè faciendum, homo liber non est, nisi à peccatis liberatus, justitiæ ceperit servire.* Et post pauca. *Quomodo quisquam de libero arbitrio in bono gloriatur opere, qui nondum liber est ad operandum benè? Libro de Spiritu & literâ ad Marcellinum c. 30. Vt quid miseri homines de libero arbitrio audent superbire, antequam liberentur, aut de suis viribus, si jam liberati sunt? si servi sunt peccati, quid se jactant de libero arbitrio? A quo enim quis*

D 2

devictus

devictus est, huic & servus addictus est. Contra duas Epistolas Pelagianorum ad Bonifacium lib. 2. c. 5. Tomo 7. *Ad bene pièq. vivendum hominis arbitrium liberum non valet, nisi ipsa voluntas hominis DEI gratiâ fuerit liberata, Libro 3. c. 8. Liberum arbitrium captivatum, non nisi ad peccatum valet, ad justitiam verò nisi divinitus liberatum, non valet, Libro 2. contra Julianum. Hinc vultis hominem perfici, atq. utinam DEI dono & non libero, vel potius SERVUS propria voluntatis arbitrio. De verbis Apostoli sermone secundo Tom. 10. Verum est, magnas liberi arbitrij vires homo cum conderetur accepit, sed peccando amisit. Et sermone 13. Idonea fuit humana natura per liberum arbitrium vulnerare se, sed jam vulnerata & saucia, non est idonea per liberum arbitrium sanare se. Item: Prorsus si DEI Patris, Christi & Spiritus Sancti adjutorium defuerit nihil boni agere poteris. Agis quidem illo non adjuvante libera voluntate, sed malè. Ad hoc idonea est voluntas tua, qua vocatur libera, & malè agendo fit damnabilis ancilla. Ad malè agendum habes sine adjutorio DEI liberam voluntatem, quanquam non est illa libera, sed captiva. A quo enim quis devictus est, huic & servus addictus est, & omnis qui facit peccatum servus peccati est, & si vos Filius liberaverit, verè liberi eritis.*

HIS ergò solidis innixus fundamentis B. Lutherus humanum arbitrium in statu peccati & miserix SERVUM nominare voluit, ut superbum illum liberi arbitrij titulum & Erasmm, totum Pelagianizantem deturbaret.

ANTEQUAM ad sequentia progrediamur, nonnulla homogenea hic in transcurso notanda sunt.

I. *Liberum Arbitrium* duobus modis considerari. 1. ἡ ἀπολύτως, 2. ὑποβιβαστικῶς. Illo modo pro substantiâ mentis & voluntatis; Hoc pro facultatibus, potentijs, viribus intellectus & voluntatis. Illo modo liberum arbitrium etiam post lapsum in homine est residuum. Id enim ni esset 1. Rationalis anima, in homine non amplius esset residua, 2. Nulla in homine

homine esset *habilitas* vel ad peccandum, vel ad salutarem sui conversionem. In hoc substantiali significato B. Augustinus liberum arbitrium sumit, cum inquit de quantitate animæ c. 36. Tom. 1. *Datum est animæ liberum arbitrium, quod qui nugatorijs ratiocinationibus labefactare conantur, usq. adeo cæci sunt, ut ne ista ipsa quidem vana atq. sacrilega propria voluntate se dicere intelligant.* Et de Ecclesiasticis dogmatibus c. 21. Tom. 3. *Manet post peccatum arbitrij libertas, id est, rationalis voluntas.* Idem habet de spiritu & anima c. 48. Et de fide ad Petrum Diaconum Tomo 3. *Liberum arbitrium propriè rationali creatura debetur,* Disp. 1. & 2. contra Fortunatum Tomo 6. *Anima rationali, quæ est in homine, DEVS dedit liberum arbitrium.* De fide contra Manichæos c. 9. Tomo 6. *Peccatum fit ab anima rationali, cui liberum voluntatis arbitrium est.* De gratiâ Christi contra Pelagium & Cœlestinum lib. 1. c. 31. Tomo 7. *In omnibus est liberum arbitrium aequaliter per naturam.* Contra duas Epistolas Pelagianorum ad Bonifacium lib. 1. c. 2. Tomo 7. *Quis nostrum dicat quod primi hominis peccato perierit liberum arbitrium de humano genere? In Enchiridio: Servi addicti qua potest esse libertas? nisi quando eum peccare deleclat? Libro secundo ad Bonif. c. 5. Peccato Ada arbitrium liberum de hominum naturâ perijisse non dicimus.*

II. Depravati hominis arbitrium depravatum in alio sensu liberum nominari posse à *coactione*. Perpetua namq. & individua humani arbitrij conditio est, esse liberum à *coactione*, quæ libertati contraria est. Hoc respectu, humanum arbitrium, dum malum operatur, facit id non naturali & *coactiviâ necessitate*, sed libera voluntate. Hæc de re Augustinus ita loquitur de libero arbitrio Libro 3. c. 3. *Nihil iam in nostra potestate quàm ipsa voluntas est.* Disp. 1. contra Fortunatum Tom. 6. *Peccatum nostrum voluntarium est.* Libro de gratiâ & libero arbitrio c. 15. Tom. 7. *Semper est in nobis voluntas libera sed non semper bona est.* Alibi: *Quis non voluntate peccanti,*

peccant, non peccant. Et: Peccatum non est, ubi non est liberum voluntatis arbitrium. Peccata, nisi libera voluntas esset in nobis peccata non essent. Ego dico peccatum non esse, si non propria voluntate peccetur. Non nisi voluntate peccatur. Peccatum sine voluntate esse non posse, omnis mens apud se divinitus conscripta legit, lib. de duabus animabus contra Manichæos Cap. 10. & II. Tom. 6. Hinc & Diabolo Augustinus liberum arbitrium tribuit, non quidem ad benefaciendum, sed ad maximam malevolentiam Tomo 2, Epistola 107. Augustino quod est Lutherus de servo arbitrio c. 44. Nos necessario malum operamur non tamen coacte, necessitate immutabilitatis non coactionis. Judas Christum prodidit volendo, non coactus, c. 156. item 162.

III. Suam quoque voluntatis libertatem & liberum arbitrium homo habet in rebus exterioribus sua potestate subiectis. Homines namque non renati suas habent actiones cum deo molinæ, tum eucypelinæ, quanquam ita comparatas, ut vel impediri possint, vel varia interveniant errata, partim ex Diaboli malitia; partim ex humanæ mentis caligine & cæcitate; partim ex consiliorum inceptis & moderamine; partim ex incertitudine successus & eventus. Hanc libertatem humano arbitrio Lutherus ipse concedit de Servo arbitrio, cap. 49. Quod si omnino vocem (liberi arbitrij) omittere nolumus, quod esset tutissimum & religiosissimum, bonâ fide tamen catenus uti doceamus, ut homini liberum arbitrium non respectu superioris, sed tantum inferioris se rei concedatur. Hoc est, ut sciat sese in suis facultatibus & possessionibus habere jus utendi, faciendi, omittendi pro libero arbitrio, licet & id ipsum regatur solius DEI libero arbitrio, quocumque illi placuerit.

IV. Corruptum quoque hominis arbitrium liberum est ad malum. Ut enim Angelus bonus in uno extremorum in bono sc. liber est: ita corruptus homo liberum habet arbitrium ad malum, alterum sc. oppositorum. Quâ de re Bernhardus

Aus eleganter in tractatu de libero arbitrio : Nemo potest
 idco dictum liberum arbitrium, quod aqua inter bonum & ma-
 lum potestate aut facultate versetur, alioquin nec DEVS, nec An-
 geli, siue boni, siue mali, arbitrij liberi esse dicerentur : sed ex eo
 potius liberum arbitrium dicitur, quod siue in bono, siue in malo
 aequè liberam faciat voluntatem, cum nec bonus quisquam, nec item
 malus dici debeat, aut esse valeat nisi volens. Et Augustinus lib.
 de gratiâ & libero Arbitrio, C. 15. Semper est in nobis vol-
 untas libera, sed non semper est bona.

V. Alio eoque peculiari sensu seruum hominis arbitrium
 nominatur liberum, à justitia scil. Hinc illud Apostolicum
 ad Rom. 6, v. 20. Cum serui eratis peccati ἐλευθεροί η̅πι τῷ δι-
 καιοσύνη̅ liberi eratis justitia, in dativo, quæ constructio sensum
 ablativum importat, liberum justitia, id est, à justitia. Hæc li-
 bertas est vacuitas, & liberum esse à justitia est, esse vacuum jus-
 titia. ἐλευθεροί enim inter alia notat liberum, immunem : Et
 verbum ἐλευθεροίται nonnunquam dicitur de fugitivis li-
 berè vagantibus. Nonnulli Apostolicam phrasin ita inter-
 pretantur. Justitiæ nullam erat in nos imperium; vel: Nulla
 vobis fuit communitio cum justitia. Augustinus de gratiâ & li-
 bero arbitrio, C. 15. Tomo 7. Libera voluntas aut à justitia
 libera est, quando servit peccato, & tunc est mala, aut à peccato
 libera est, quando servit justitiæ, & tunc est bona. De correpti-
 one & gratiâ, C. 1. In malefaciendo liber est quisq; justitiæ,
 servusq; peccati. In bono autem liber esse nullus potest, nisi fuerit
 ab eo liberatus, qui dixit : si vos filius liberaverit verè liberi eri-
 tis, Joh. 8, v. 36.

VI. Corruptum deniq; corrupti hominis arbitrium vo-
 cari potest liberum, non quidem ratione actualis habilitatis vel
 inclinationis ad spiritualem libertatem, quasi in se & ex
 suis viribus illam inclinationem ad sui conversionem ha-
 beat. Sed 1. Ratione possibilitatis. Potest enim fieri liberum
 ex alio principio. 2. Ratione acquisita liberationis, per Chri-
 stum

rum factæ, quâ humani arbitrij ex statu servitutis in statum libertatis assertionem promeruerit, Joh. 8, 36. In hoc sensu Augustinus sæpè *arbitrium liberum* consideravit ratione tertij articuli. Consentit B. Lutherus in sua Apologetica contra malignum Johannis Eccij judicium super aliquot articulis à quibusdam fratribus ei suppositis, responsione ad nonum articulum Tomo I. Jhenensi Latino, mihi fol. 223. *Dico quod homo habet liberum arbitrium, non quia sit modò quale fuit in Paradyso, sed quia potest fieri liberum, & fiat liberum, alioquin verè est Servum arbitrium. Non igitur liberum arbitriū tam à FACTO esse, quàm à DEBITO esse dicitur. Et paucis interjectis: Quando sancti Patres liberum arbitrium defendunt, CAPACITATEM libertatis ejus predicant (passivam sc. non activam, ita explicante Christiana concordia formulâ in loco de Libero Arbitrio) quod sc. verti potest ad bonum per gratiam DEI, & fieri revera liberum, ad quod creatum est.*

ARGUMENTUM LIBRI CUM OECONOMIA.

Libri summam ipse titulus complectitur. Agit enim de viribus humani arbitrij, post lapsum considerati, in rebus spiritualibus, quid ex naturalibus suis viribus homo peccator possit ad salutarem sui conversionem: Descriptionis genus est *elenchtico-didacticum*. B. namq; Lutherus I. partim ad ea Scripturæ loca respondet, quæ ab Erasmo pro libertate humani arbitrij *in diatribe* producebantur; 2. partim Scripturæ loca contra vires liberi arbitrij facientia ab Erasmo Sophistica liberat; 3. partim servum hominis arbitrium ex Scriptura firmiter assertit & demonstrat. Οικονομία libri *duarum est partium, Prior θεωρητική, Posterior πραγματική.*

DE PRIORE LIBRI

33.

PARTE. *Ἐπιμαχῆ.*

IN hac Lutherus noster ad nonnulla *Ἐπιμαχῆ* Erasmiānæ Diatribæ sat fusè responderet, dum præfatione in duobus capitib9 præmissâ hunc in modum scribit sub initium c. 3. *Principiò aliqua capita præfationis tuæ percurrere volo, quibus nonnihil causam nostram gravas, & tuam adornas. Præcipua verò Ἐπιμαχῆ Diatribæ sunt:*

PRIMUM, Erasmi *ἠέψ* de qua sic scribit sub initium Diatribæ: *Ad eò non delectar assertionibus, ut facile in SCEPTICORUM sententiam pedibus discessurus sim, ubi cunq; per divinarum scripturarum inviolabilem autoritatem & Ecclesiæ decreta liceat, quibus libenter me submitto, sive assequor quod præscribit, sive non assequor. Hæc ille.*

Contra hanc Erasmiānam *ἠέψ* planè profanam & Christiano homine perquam indignam Lutherus pugnat à c. 3. ad 7. inclusivè, undè hæc præcipua responsionis loco notamus. *Non est hoc Christiani pectoris non delectari assertionibus, imò delectari assertionibus debet, aut Christianus non erit: Absint à nobis Christianis SCEPTICI & ACADEMICI: Adsint verò vel ipsis STOICIS his assertores pertinaciores. Nihil apud Christianos notius & celebratius quàm ASSERTIO. Tolle ASSERTIONES & CHRISTIANISMUM tulisti. Quis Christianorum ferat assertiones esse contemnendas? Hoc esset aliud nihil quàm semel coram religionem & pietatem negasse, aut asseruisse, nihil esse religionem aut pietatem aut ullum dogma. Hoc consilio aliud nihil facis, quàm quod significas te in corde LUCIANUM, aut alium quendam de grege EPICURI porcum alere, qui cum ipse nihil credat esse DEVM, rideat occultè omnes, qui credunt & consentunt. Sine nos esse ASSERTORES & assertionibus studere & delectari, tu SCEPTICIS tuis & ACADEMICIS fave*

E

donec

donec te Christus quoque vocaverit. Spiritus Sanctus non est Scripticus, nec dubia aut opiniones in cordibus nostris scripsit, sed assertiones ipsa vita & omni experientia certiores & firmiores. Reliqua citato loco legantur.

SECUNDUM Erasmi ~~de~~ distinctionem continet, in qua Christiana dogmata distinguit & scribit, quaedam scitu necessaria, quaedam non necessaria scitu, quaedam abstrusa, quaedam exposita, quaedam ignota. Inter ea verò quæ abstrusa sunt & non necessaria & dogma de libero arbitrio numerat. Item illas quæstiones dicit retrusas & supervacaneas. 1. An DEVS contingenter præsciat aliquid? 2. Vtrum nostra voluntas aliquid agat in his quæ pertinent ad æternam salutem, an tantum patiatur ab agente gratia? 3. An quicquid faciamus sine ve boni sive mali merà necessitate faciamus vel patiamur potius?

Ad hæc Lutherus fusè respondet à c. 8. ad 23. inclusivè, Epitome responsionis hæc est.

1. Distinguit inter DEVM & Scripturam DEI. In DEO multa esse abscondita & abstrusa, in Scriptura haud item.

2. Esse in Scripturis multa loca obscura & abstrusa, non ob majestatem rerum, sed ob ignorantiam vocabulorum & Grammatica, sed quæ nihil impediunt scientiam omnium rerum in Scripturis.

3. Si uno loco obscura sunt Scriptura verba, alia sunt clara.

4. Paulum ad Rom 11, v. 36. Non loqui de incomprehensibilibus Scripturae judiciis, sed DEI. Ita Esaiam c. 40, v. 13. Non dicere: quis novit sensum Scripturae? sed quis novit sensum Domini?

5. Locum de servo arbitrio ad necessarium fidei articulum pertinere.

6. Erasmus in suis verbis partim PAGANUM & EPICURUM, partim sibi contrarium esse. Quid hic dicam Erasme? totus Lucianum spiras, & inhalas mihi grandem Epicuri crapulam.

7. *DEVM non contingenter, sed necessariò præscire, necessitate sc. immutabilitatis, qua tamen præscientia nullam creaturis afferat vel NECESSITATEM vel COACTIO-
NEM peccandi.*

8. *Non irreligiosum, curiosum aut supervacaneum esse, sed imprimis salutare & necessarium Christiano nosse, an voluntas aliquid, vel nihil agat in ijs, qua pertinent, ad salutem. Reliqua legantur in ipso Luthero.*

TERTIUM Erasmi ~~comparandi~~ his in verbis continetur: Sunt quadam ejus generis, ut etiamsi vera essent & sciri possent, non expediret tamen ea prostituere promiscuis auribus. Hoc effatum Erasmus probare conatur aliquot exemplis & similibus. Exemplis 1. De præsentia *DEI* non minus in antro scarabei, quàm cælo. 2. De Scholastica enunciatione, tres esse Deos, uti verè dici possit juxta Dialecticæ rationem. 3. De auriculari confessione. 4. Assumit & exemplum Pauli *I. Cor. 10. 23.* Omnia mihi licent, sed non omnia expediunt. 5. Producit & Synodos. Si mihi constaret in Synodo quicquam perperam fuisse constitutum & definitum, liceret quidem verum profiteri, sed non expediret, ne malis præberetur ansa condemnandi Patrum auctoritatem, etiam in his, qua piè sanctèq; statuissent, mallemq; dicere tum pro ratione temporum **PROBABILITER** visum fuisse, quod tamen præsens utilitas suadeat abrogari. Similibus. Sunt quidam corporum morbi, qui minore malo tolerantur, quàm tolluntur, veluti si quis in calido sanguine trucidatorum infantum lavet, ut leprâ careat. Ita sunt quidam errores quos minori pernicie dissimules, quàm convellas.

Ad hoc B. Lutherus respondet à c. 24. ad 38. exclusivè.

1. Erasmi assertionem patentem nobis ad **EPICUREIS-
MVM** januam aperire.

2. Ea qua sacris literis aut traduntur, aut probantur, esse non modò aperta sed & salutaria, ideo tunc in vulgari disci & sciri
possunt.

posse, imò debere, ut falsum sit quod dicit Erasmus, non esse profliganda promiscuis auribus.

3. *DEVM* presentem esse in morte & in inferno, hac multo horribiliora & fœdiora esse quovis antro & cloacâ. Divinam ergo omnipresentiam non ex hominum ratiociniis ex locali quadam inclusione æstimandam, sed potius adorandam.

4. Tres esse Deos, fatetur Lutherus, esse offendiculum, si doceatur, cum non verum sit, nec Scriptura id doceat, sed Sophista in Dialecticis ita locuti sint.

5. *Vulgus* coercendum esse externâ vi gladij ubi malè egerit, Rom. 13, v. 4. Non autem falsis legibus (Carpote omnium peccatorum confessione, satisfactione & alijs) implicandas esse conscientias, ut peccatis divexentur, ubi peccata non esse *DEVS* voluit.

6. Erasmo mundanam pacem & vanam gloriam potiorem esse veritate divini verbi, hujusq; confessione. Id quod Lutherus nervosè in Erasmo reprehendit.

7. Hanc esse fortunam constantissimam verbi *DEI*, ut ob ipsum mundus tumultuetur, Matth. 10, 34. Luc. 12, 51. 2. Cor. 6, v. 5. Psal. 2, v. 1. &c. Hoc ipsum probat exemplis Elia, I. Reg. 18. Pauli, Act. 5.

8. Minori malo tolerari motus & incommoda rerum temporalium, quàm divini verbi ablationem conjunctam cum aeterno animarum dispendio.

9. Christianam libertatem non esse dissimulandam, sed acriter contra humanas ἐθελοθρησκείας urgendam, licet perverfi homines hac libertate pessimè abutantur. Non enim sunt facienda mala, ut eveniant bona, Rom. 3, v. 8.

10. Paulum I. Cor. 10, v. 23, non loqui de doctrina aut docenda veritate, sed de fructu & usu doctrinae, nempe libertatis Christianae jactatoribus, qui sua querentes, scandali rationem & offensionis infirmorum nullam habebant.

11. Humana statuta vel sanctiones quibus hominum conscientia ligantur non posse citra periculum juxta purum *DEI* verbum

bum seruari, quia humana statuta ligant conscientias, verbum DEI solvit eas, pugnareq; sibi mutuo ut aquam & ignem.

12. Patrum auctoritatem suam, deq; faciendam esse & statuta perperam in conciliis lata dirumpenda & projicienda esse. Christum enim Patrum auctoritate potiozem.

QUARTUM Erasmi *deputatio* hoc est: FINGAMUS in aliquo sensu verum esse, quod docuit VVIKLEFUS. LUTHERUS asseruit. Quicquid sit à nobis non libero arbitrio, sed merà necessitate fieri, quid inutilius quàm hoc paradoxum evulgari mundo? Rursus FINGAMUS esse verum iuxta sensum aliquem, quod alicubi scribit Augustinus: DEVM & bona & mala operari in nobis, & sua bona opera remunerari in nobis, & SUA MALA punire in nobis, quantam fenestram hæc vulgo prodita vox innumeris mortalibus aperiret ad impietatem? Quis infirmus sustinebit perpetuam & laboriosam pugnam aduersus carnem suam? Quis malus studebit corrigere vitam suam? Quis inducere poterit animum, ut DEVM illum amet ex toto corde, qui Tartarum fecit aternis cruciatibus ferventem, ut illic sua malefacta punias in miseris, quasi supplicij hominum delectetur &c.

Ad hæc Lutherus respondet à c. 38. ad 50. exclusivè, ubi probat:

1. DEVM in suo verbo secundum hominum sensus non esse reformandum. DEI namq; verbum non pendere, stare, cadere arbitrio hominum, sed arbitrio & auctoritate DEI.

2. Ea que in DEI verbo continentur, omninò inculcanda esse, licet ratio ea pro paradoxis habeat. 1. Propter humiliationem humanae superbia. 2. Propter cognitionem gratia DEI.

3. Ad Christianæ fidei exercitium, Hæc omnia eleganter à Lutero illustrantur, simul & nonnulla duriora de abscondito DEO inferuntur, ut suo loco videbimus.

3. Hominem peccati servum NECESSARIO malum operari, necessitate non COACTIONIS, sed IMMUTA-

BILITATIS, id est, voluntas peccato immersa non potest sese mutare & vertere aliò, vel: Liberum arbitrium sine gratià DEI prorsus non liberum, sed **IMMUTABILITER** captivum & servum esse mali, cum non possit se vertere solum ad bonum. Quod convenit cum illo Augustini: Postquam homo libera voluntate peccavit nos in **NECESSITATEM** peccandi precipitati sumus, qui ab ejus stirpe descendimus, Disp. 2. contra Fortunatum, Tomo 6.

4. Erasmus sibi ipsi contrarium, dum scribit: Liberum arbitrium citra gratiam DEI prorsus esse inefficax, & tamen defendit vim & vires liberi arbitrii. Quid est vis inefficax, inquit Lutherus, nisi planè nulla vis? Itaq; dicere liberum arbitrium esse & habere vim quidem sed inefficacem, est id quod Sophista vocant oppositum in adjecto, ac si dicas liberum arbitrium esse, quod liberum non est: Sicut si ignem frigidum & terram calidam dixeris &c.

5. Interea tamen hominem aptum esse rari spiritu & imbui gratià DEI (quam aptitudinem Lutherus passivam nominat) id quod in arboribus & bestiis non reperitur. Si quis hanc aptitudinem vim vellet nominare, idà Luthero non adèd fore contrarium.

6. Liberum arbitrium esse planè divinum nomen nec aliis posse competere quàm soli Divina Majestati, c. 47. 49. Ea namq; nulli subiecta, liberè facit ea, quæ vult in cælo & in terrâ, Psal. 115. 3. 135. 7.

7. Quod si omninò vocem liberi arbitrii omittere nolumus, quod esset iustissimum & religiosissimum, bonâ fide tamen eatenus uti doceamus, ut hominis arbitrium liberum non respectu superioris, sed tantum inferioris sc. rei concedatur. Hoc est, ut sciat sese in suis facultatibus & possessionibus habere jus utendi, faciendi, omittendi pro libero arbitrio, licet & id ipsum regatur solius DEI libero arbitrio, quocunq; illi placuerit.

QUINTUM Erasmi ~~decoluax~~ In his consistit ver-
bis: *Illud Lectorem admonitum velim, si Scriptura divina testi-
monijs ac solidis rationibus videbimur paria facere cum Luthe-
ro, ut tum deniq; sibi ponat ob oculos, tam numerosam seriem eru-
ditissimorum virorum, quos in hunc usq; diem tot seculorum con-
sensus approbavit, quorum plerog; prater admirabilem sacrarum
literarum peritiam, vita quoq; pietas commendat, quidam etiam
doctrina Christi, quam scriptis defenderant sanguine suo testimo-
nium reddiderunt, quales sunt apud Græcos Origenes, Basilus,
Chrysostomus, Cyrillus, Iohannes Damascenus, Theophylactus.
Apud Latinos Tertullianus, Cyprianus, Arnobius, Hilarus, Am-
brosius, Hieronymus, Augustinus, ne recenseam interim Thomas,
Scotos Durandos, Capreolos, Gabrieles, Aegidios, Gregorios, A-
lexandros. Quorum in argumentando vim & argutiam non ar-
bitror cuiquam prorsus esse contemnendam, utq; interim remove-
am tot Academiarum, Conciliorum ac summorum Pontificum au-
toritatem &c. Hæc ille. Et post pauca, Si Lector videris
mea Disputationis apparatus ex aquo pugnare cum parte diver-
sa, tum illud secum expendat, utrum plus tribuendum esse iudicet
tot Eruditorum, tot Orthodoxorum, tot Sanctorum, tot Marty-
rum, tot veterum ac recentium Theologorum, tot Academiarum,
tot Conciliorum, tot Episcoporum & summorum Pontificum pra-
judicijs, an unius vel alterius privato iudicio &c.*

Ad hoc objectum ab humana desumptum autoritate
& multitudine, Megalander noster Lutherus sequentia
apponit.

1. *Fatetur, magnum esse cumulum Doctorum Ecclesie pro
libertate liberi arbitrij, quibus Erasmus non immerito moveat
tur, & ipsum Lutherum etiam ultra DECENNIIUM istis sic
motum, ut nullum quempiam alium.*

2. *Per correctionem. Nil mirum si ij qui sancti, spiritua-
les, mirabiles fuerunt, aliquoties carne prævienti locuti sint & o-
perati secundum carnem, quando id & ipsis Apostolis sub ipso
Christo*

Christo non semel accidit. Si ergo Patres liberum arbitrium aliquando predicaverunt, certè ex carne, non ex Spiritu DEI sunt locuti.

3. Miracula, sanctimoniam vita, multitudinem hominum & magnorum etiam, ut & paucitatem, non stabilire, nec destruere posse liberum arbitrium, nec claudum sanare equum, nec unum pulicem vel pediculum capere posse, sed illa omnia ex DEI verbo aestimanda esse. Sanctorum ergo benefacta aberratiè distinguenda esse.

4. Propugnatoribus liberi arbitrii, ut affirmanti parti probationem incumbere.

5. Contrarium ex praxi multorum Ecclesie doctorum probari posse, qui licet in scriptis extra tentationem liberi arbitrii patroni fuerint, in suis tamen precibus & in tentaminibus de libero arbitrio de seipsis planè desperantes nihil nisi solam & puram DEI gratiam cognoverint.

6. Patres in doctrina de libero arbitrio non convenire. Interdum enim ex infirmitate carnis, pro libero dixerunt arbitrio: Interdum ex fortitudine Spiritus contra liberum arbitrium scripserunt. Patres ergo potiùs metiendos ex affectu, quàm ex sermone.

7. Augustinum in doctrina de libero arbitrio totum à patribus Lutheri stare.

SEXTUM hoc est: Qui credi potest, Christi Spiritum annis plus mille trecentis dissimulasse errorem Ecclesie suae, nec ex tot sanctis viris dignum habuisse quenquam, cui hoc inspiraret, quod isti contendunt esse totius doctrinae Evangelicae caput.

Respondet Lutherus à c. 59. ad 62. per negationem, hunc errorem à DEO in Ecclesia toleratum. Id enim probandum; Num illi quos Erasmus Ecclesiam vocat, Ecclesia sint.

2. Non sequi, si DEVS plurimos, quantavis longà serie seculorum eruditissimos viros passus est errare. Ergo Ecclesiam passus est errare. Consecutionis vanitatem varia exemplorum

plorum inductione & V. & N. Testamento, sit & Ecclesiastica historia Lutherus probat. 1. Ex regno Israelitico, ubi in tanto regum numero & tempore, ne unus quidem rex numeratur, qui non errarit. 2. Sub Elia Propheta sic omnes & omne quod publicum erat istius populi, abierat in idolatriam, ut se solum relictum putaret, 1. Reg. 19, 14. 3. Quid accidit sub ipso Christo, ubi omnes Apostoli scandalizati, cum ipse ab universo populo negatus & damnatus est, vix uno & altero, Nicodemo & Iosepho, cum latrone in cruce servatis? 4. Quis scit, si toto mundi cursu, ab origine sua, semper talis fuerit status Ecclesiae DEI, ut alij dicerentur populus & sancti DEI, qui non essent, alij verò inter illos, ut reliquia, essent & non dicerentur populus aut sancti, sicut monstrat historia Cain & Habel, Ismaël & Isaac, Esau & Iacob? 5. Ab exemplo Arrianorum. Vide Arrianorum seculum, ubi vix quinq; in toto orbe Episcopi Catholici servati sunt, ijq; à sedibus puls, regnantibus ubiq; Arrianis publico nomine & officio Ecclesiae: nihilominus sub istis haeticis suam Ecclesiam servavit Christus, sed sic, ut minimè Ecclesia putaretur aut haberetur. 6. Exemplo Pontificij dominatus. Sub Papa regno, ostende unum Episcopum suo officio fungentem, ostende unum concilium, in quo de rebus pietatis tractatum sit, ac non potius de pallijs, de dignitate, de censibus & alijs prophanis nugis, qua Spiritui Sancto tribuere, nisi insanus, non possit. Et nihilominus ij Ecclesia vocantur, cum omnes, saltem sic viventes, perditii sint, & nihil minus quam Ecclesia. Verùm sub ijs servavit suam Ecclesiam, sed non ut diceretur Ecclesia. Quot sanctos putas exusserunt & occiderunt jam aliquot seculis, soli illi inquisitores haetica pravitatis? velut Iohannem Hussum & similes, quorum seculo non dubium est, multos viros sanctos vixisse eodem Spiritu.

3. Quid mirum, si DEVS omnes Ecclesia majores sinat ire vias, qui sic omnes gentes permittit ire vias suas, ut Paulus in actis dicit? Act. 14, 16. Non est res tam vulgaris, mi Erasme,
 F
 Ecclesia

Ecclesia DEI. quàm est nomen hoc, Ecclesia DEI, nec ita passim occurrant sancti DEI, ut hoc nomen, sancti DEI. Alioqui si palam ab omnibus agnoscerentur, quomodo fieri posset, ut sic in mundo vexarentur & affligerentur? ut Paulus dicit 1. Corinth. 2, 8. Si cognovissent, nunquam Dominiæ gloriæ crucifixissent.

4. *Locum à sanctimonialia Patrum non esse fidelem satis pro dogmate aliquo confirmando.*

5. *DEVM multos, etiam sanctissimos viros in ultimo mortis agone ab errore clementer reduxisse, & ita stipulas per mortis & tentationum ignem exussisse, 1. Cor. 3, 15.*

6. *Distinguendam Ecclesiam invisibilem à visibili, particularem ab universali, personas à re.*

7. *Lutherum sanctos habere & vocare Ecclesiam DEI canone CHARITATIS, non canone FIDEI. Caritas, que omnia optima de quovis cogitat, nec est suspicax, omniaq; credit ac presumat de proximis bona, sanctum vocat quemlibet baptizatum, nec periculum est, si erret, quia charitatis est falli, cum sit exposita omnibus omnium usibus, ministra generalis, bonorum, malorum, fidelium, infidelium, veracium, fallacium. Fides verò nullum vocat sanctum, nisi divino iudicio declaratum; quia fidei est non falli. Ideò cum omnes debeamus haberi invicem sancti, JURE CHARITATIS, nullus tamen debet sanctus decerni, JURE FIDEI; tanquam articulus sit fidei, illum vel illum esse sanctum, quo modo suos, quos nescit, sanctos canonizat, adversarius ille DEI, Papa, in locum DEI se constituens, 2. Thess. 2, 4.*

8. *Et id Beatus Lutherus monet: Cum Ecclesiastici Patres in suis scriptis inter se variant, illi potius sequendi fuerant, qui optima, id est, contra liberum arbitrium pro gratiâ locuti sunt, relictis illis, qui pro infirmitate carnis, carnem potius, quàm Spiritum secuti sunt. Ita illi, qui sibiipsis non constant, eâ parte fuerant eligendi & apprehendendi, ubi ex Spiritu loquuntur,*

quuntur, relinquendi, ubi carnem saperent. Hoc erat Christiani
lectoris & animalis mundi, habentis dissitas ungulas, & rumi-
nantis, (Alludit B. Lutherus ad Mosaicam sanctionem de a-
nimalibus mundis & immundis, Levit. II. Inter quæ ca-
munda erant ex Levitica ordinatione, quibus hæc duo hæ-
mut inerat, bifidati pedes & ruminatio, v. 2. Hæc Mo-
saicam discretionem Lutherus Allegoricè hoc loco accom-
modat ad Christianos Spiritum discretionis habentes.)

9. Hisce Lutherus per querelæ modum sequentia subne-
dit: Nunc posthabito iudicio, omnia confusa voramus, aut
quod iniquius est, per verso iudicio meliora respuimus, deteriora
probamus, in unus eudemq; autoribus; tum illis ipsi deterioribus
titulum & auctoritatem sanctimonia eorum aptamus, quam ta-
men illi ob optima & ob solum Spiritum, non ob liberum arbitrio
um vel carnem meruerunt.

10. Tandem concludit: Ecclesiam verè sic dictam, ex iu-
dicio Spiritus Sancti & fidei absconditam esse, quo respectu invi-
sibilis nominatur. Sanctos item latere, cum ex fidei iudicio non
statim ad sanctitatem illorum concludere liceat, qui & externè
sanctimonia, & eruditione, quantumvis admirandâ pollent, i-
mò qui Sacram Scripturam urgent, ejuq; interpretes se esse
gloriantur. Non enim de scriptura, sed de vero scripturæ sensu
hoc loco disputari.

SEPTIMUM recipiatur Erasmus hoc modo tra-
ctat: Si scriptura tam lucida est, cur tot seculis viri tam excel-
lentes hic cacutierunt? Idq; in re tantimomenti? Si scriptura
nihil habet caliginis, quid opus erat Apostolorum temporibus
prophetiâ? Si prophetia donum non cessavit, quarendum est,
in quos derivatum sit? Si in quolibet, incerta erit omnis in-
terpretatio; si in nullos, cum & hodiè tot obscuritates torque-
ant doctos, nulla erit interpretatio certa. Si in eos, qui succes-
serunt in locum Apostolorum, reclamabunt, multo jam seculis
multos

multos succedere in locum Apostolorum, qui nihil habent spiritus Apostolici, &c. Videatur totus locus in Erasmiانا Diatribe.

Ad hæc Lutherus per sequentia membra respondet à c. 62. ad 71. inclusivè.

1. Si scriptura non est lucida, multò minus humanus scriptura sensus, qui & fallax insuper est, secundum illud Davidicum: Omnis homo mendax. Relinquuntur igitur fidei articuli in dubio, & manet sub iudice lis, ut prudenter facturi videamur, si in **SCEPTICORUM** sententiam concedamus.

2. Spiritus duplici iudicio explorandos seu probandos, uno **INTERIORE**, quo per Spiritum Sanctum vel donum **DEI** singulare quilibet pro se, suaq; solius salute illustratus, certissimè iudicat & discernit omnium dogmata & sensus, secundum illud Apostolicum: Spiritus omnia iudicat & à nemine iudicatur, 1. Corinth. 2, 15. Hæc exploratio ad fidem pertinet, & necessaria est cuilibet, etiam privato Christiano. Iustus enim suâ fide vivet, Habac. 2, v. 4. Rom. 1, 17. Hæc est **INTERIOR** scripturæ claritas in cordis cognitione fita, prout Lutherus supra locutus erat, c. 10. **Altero EXTERIORE**, quo non modò pro nobis ipsis, sed & pro alijs & propter aliorum salutem certissimè iudicamus spiritus & dogmata omnia. Hoc iudicium est publici ministerij in verbo, & officij externi, & maximè pertinet ad duces & pracones verbi, quo utimur, dum infirmos in fide roboramus, & adversarios confutamus. Hæc Lutherò citato loco est **EXTERNÀ** scripturæ claritas in extetno verbi ministerio.

3. Nunc digressionem faciã Lutherus in genere contra omnes eos insurgit, qui asseruerunt: Sacram Scripturam in se obscuram esse; Id oportet apud Christianos esse imprimis ratum atq; firmissimum, Scripturas sanctas esse lucem spiritua-lem, ipso sole longè clariorem, præsertim in ijs, quæ pertinent ad salutem vel necessitatem,

4. Hanc internam Scripturæ lucem & claritatem Lutherus probat tum *dictu scriptura*, Deut. 17, v. 11. Psal. 9, v. 9. Psal. 119, v. 105. & v. 130. Esa. 8, v. 20. Malach. 2, v. 7. Rom. 1, v. 2. c. 3, v. 21. 2. Cor. 3, v. 8. c. 4, v. 3. 6. 2. Petr. 1, v. 19. Joh. 5, v. 35, 39. c. 8. v. 12. Act. 17, v. 11. 2. Tim. 3, v. 16. 17. Luc. 21. v. 15. &c. Tum *exemplu Christi & Apostolorum*, qui suas prædicationes per scripturas probarunt, ut clarissimum testem suorum sermonum. Legantur in Luthero capita 64, 65, 66. 67.

5. *Si obscura est scriptura, quam scriptura interpretes declarant, quis nos certos facit, ipsam eorum declarationem esse certam? Alia nova declaratio? Quis & illam declarabit? Ita fiet progressus in infinitum.*

6. *Si scriptura obscura vel ambigua est, quid illam opus suis nobis divinitus tradi? An non satis sumus obscuri & ambigui, nisi de cælo nobis augeatur obscuritas & ambiguitas & tenebra? ubi manebit illud Apostoli: Omnis scriptura divinitus inspirata utilis est ad docendum, & increpandum & arguendum? 2. Timoth. 3, v. 16. Imò inutilis est, Paule, prorsus, sed ex Patribus longâ seculorum serie receptis & sede Romana, talia petenda sunt, qua in Scriptura tribus. Quare tua sententia revocanda est, ubi ad Titum scribis, Episcopum oportere potentem esse in doctrina sana, exhortari, & redarguere contradicentes, & os oppilare vaniloquus & mentium deceptoribus. Titum 1, 9. Quomodo eris potens, cum tu scripturas ei relinquant obscuras, hoc est, arma stuppea, & pro gladio, leves stipulas? Tum Christus quoque vocem suam recantes, necesse est, qui nobis falso promittens, dicit. Ego dabo vobis os & sapientiam, cui non poterunt resistere omnes adversarii vestri, Luc. 21, v. 15. Quomodo non resistent, quando obscuris & incertis contra eos pugnamus? &c.*

7. *Si dogma de libero arbitrio obscurum vel ambiguum est, ad Christianos & scripturas non pertinet, ac relinquendum*

est prorsus, numerandumq; inter eas fabulas, quas damnat Paulus in Christianis rixantibus. Si autem ad Christianos & scripturas pertinet, clarum, apertum & evidens esse debet, prorsusq; similis ceteris omnibus evidentissimis articulis. Debent enim omnes Christianorum articuli tales esse, ut non modò ipsis certissimi sint, sed etiam adversus alios tam manifestus & clarus scripturis firmati, ut omnibus os obstruant, ne possint quicquam contradicere, secundum præfata Servatoris verba.

5. Refutationem alicujus dogmatis non consistere vel in externa coactione adversa partis, ut cedat, vel persuasione, ut confiteatur se peccasse, aut taceat, sed quod os illorum sic obstruitur, ut non habeant, (de jure sc. & ex rei veritate) quod contradicant, & ut multa contradicant, communis tamen sensus iudicio nihil dicant.

Hoc Lutherus exemplis aliquot illustrat capite 68. & 69. 1. Sacerdotum, quibus Christus os occlusit vel silentium imposuit, & quos ex Exodi 3. Matth. 22. v. 34. 2. Pharisæorum, quos Christus sapè confutavit evidentissimis scripturis & argumentis, ita ut populus convictos palàm videret, & ipsi met sentirent, nihilominus illi perseverabant adversarij. 3. Stephani, Act. 17. 4. Iohannis Huss, &c. Hæc exempla ad præsens institutum hoc modo accommodat. Si & nos liberum arbitrium sic confutare poterimus, ut adversarij nequeant resistere, etiamsi persistant suo sensu, & repugnantie conscientia resistant, satis fecerimus. Satis enim experius sum, quàm nemo volet vinci. Legantur ibidem loci & alia.

9. Excellentes ingenio viri in doctrinâ de libero arbitrio caucutierunt, ut ex eorum exemplo evidens argumentum habere possimus, quidnam valeat liberum arbitrium in magnis etiam viris. Homo namq; sibi relictus videns non videt & audiens non audit. Tanta est miseria & cæcitas humani generis: Verè dixit Iohannes 1. 5. Lux lucet in tenebris & tenebra eam non comprehendunt.

HIS ita hunc in modum discussis B. Lutherus tra-
 ctationem suam proœmialem hoc modo concludit capite
 71. 72.

1. Tu Erasme, dicis scripturam non esse dilucidam, deinde
 sententiã suspensã sic in utramq; partem disputas, quid pro quid
 contra dici possit, præterea nihil agis toto illo libello.

2. Si scriptura non est dilucida, cur hic non modò cæcutiunt,
 sed temerè & stultè definiunt & asserunt liberum arbitrium, ve-
 lut ex certã & dilucidã scripturã illi quos jactas.

3. Si Ecclesie Doctores tam tenaciter scriptura inhaeserunt,
 quid? pro veritate sanguinem quoq; suum effuderunt, sequitur il-
 los scripturam sacram ut dilucidam agnovisse. Quæ namq; fo-
 ret levitas & temeritas suum sanguinem fundere pro re incerta
 & obscura?

4. Cornutum igitur syllogismum ex Erasmi mente ita
 format: Alterutrum falsum esse oportet, vel illud: Ecclesia
 Doctores fuisse admirabiles peritia sacrarum literarum, vita &
 martyrio, vel illud: Scripturam non esse dilucidam.

5. Ad hunc Lutherus ita respondet: Ego neutrum ve-
 rum, sed utrumq; falsum dico: Primo scripturas esse lucidissimas,
 deinde Doctores, quatenus liberum arbitrium asserunt esse impe-
 ritissimos sacrarum literarum, tum illud neg, vitã, neg, morte
 solum vel stylo, sed peregrinante animo asseruisse.

6. Per SCRIPTURAM ergò ut obscuram hætenus ni-
 hil certi definitum est, nec definiti potest de libero arbitrio, Era-
 smo teste. Per VITAM verò omnium hominum ab initio
 mundi nihil est ostensum pro libero arbitrio.

7. Docere igitur aliquid, quod intra scripturas non est ullo
 verbo præscriptum, & extra scripturas non est ullo facto monstra-
 tum, hoc non pertinet ad dogmata Christianorum, sed ad nar-
 rationes LUCIANI.

Tantum de Analyti prioris partis, & sequentiũ scilicet
 libelli B. Lutheri cui nomen dedit SERVUM ARBITRIUM.

Loco clausulæ circa hanc Analyfin iudicium B. Luthic-
ri subijcimus de Erasmo ex mensalibus Colloquijs C. 32, de
Hæreticis nobis à fol. 341. ad 345.

Wiewol *Lucianus* aller Götter gespottet vñ sie verlacht hat/
doch ist *Erasmus* ein grösserer Dub vnd Epötter. *Erasmus* hat ein
nen Gott/ der heist *Abamnesia*, das ist / das Glück. Es verdreuff
mich das *Erasmus* wil ein *Theologus* sein / vnd weiß nicht warum
Christus in die Welt kommen ist. Er thut mit seiner ganzen *Theo-
logia* nichts anders/ den das er Christum zum Juristen macht. *E-
rasmus* hat das Papstthumb gereiget vnd veriret/ nun zeucht er den
Kopff aus der Schlingen. *Erasmus* kan nichts den *cauillieren* vnd
spottien. *Erasmus* ist ein Gottloser Mensch/ hat keinen Glauben /
den eben den rechten Römischen Glauben / gläubet eben das / das
Papist *Elemens* gläubet. *Erasmus* sichts durch den Zaun / thut nichts
öffentlich / gehet keinem frey vnter Augen. *Erasmis* Wort sind
Wankel Wort vnd geschraubt/ die er deuten kan wie er wil / also
das man ihn nicht beschuldigen kan/ spottet in des das Papstthumb/
Evangelium vnd *GOTT* mit seinen Wankel Worten vnd Unge-
wissen Reden. Wer *Erasmus* zudruckt/ der würget eine Wankel/
welcher todt lehrer stinckt den lebendig. *Erasmus* ist ein rechter *Mo-
mus*. *Erasmus* ist *Rex Amphibolarum*, ein Meister geschraubter
Wankel Wort vnd Reden. Da *Erasmus* sein Buch *Moriam*
geschriben/ hat er eine Tochter gezeuget/ die ist wie er.

Qui sathanam non odit, amet tua carmina, Erasme
Atq; idem iungat Furias & mulceat orcum.

Es hat Herzog Georg zu Sachsen *Erasmus* in Geistlichen
Händeln Schriftlich zu Raht fragen lassen/ als aber der Schlip-
ferige Mann/ eine zweiffelhaffige vnd verdrehere Antwort gab /
die weder kalt noch warm war / sol der Weile Fürst gesagt haben:
Lieber *Erasme*, wasche mir den Pels vnd mache ihn nicht recht
in Mul / sondern sagen frey vnd redlich herauß was ihre Mei-
nung sey. Vide 8. Tom. 2. Germ. fol. 246. 427.

Quæritur

I.

Num Pelagius appositè dicta Patrum ante Augustini tempora viventium contra Augustinum produxerit, circa Articulum de peccato originis & humano Arbitrio? Neg.

II.

Num Matthias Flacius aliquo modo excusari possit circa sententiam quam habuit de originali hominis tum justitiâ, tum injustitiâ? Dubitatur.

